

miniculentur; Prout de Vobis etiam omnino Nobis pollicemur, ut vicissim iisdem fideliter astituri, Vosque iuicem pari amore et fide, fraterno utique Vinculo mutuo obstrictos, Consideraturi sitis. Quibus plane freti Caesaream et Regiam Nostram Gratiam Vobis amplissimam Confirmamus.

Datum Passauj die uigesima sexta Julij Anno Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo tertio, Regnorum Nostrorum Romani uigesimo quinto, Hungarici uigesimo nono, Bohemici uero uigesimo septimo.

Leopoldus m. p.

T. A. Henr. I. b. de Stratman m. p.

Ad mandatum Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis proprium:

Joannes Georgius Koch m. p.

A tergo:

Spectabilibus, Magnificis, Generosis, Fidelibus Nobis dilectis Regni Nostri Croatiae Statibus et Ordinibus.

Orig. in Arch. Reg. Croat. Acta Regni Congr. 1683, Nr. 49.

CCXVIII.

Anno 1683. die 28. Julii. Passavii

Leopoldus Rex fidelitatem Croatorum summis extollit laudibus eosque ad fortiter hosti resistendum monet.

Reuerendi, Honorabiles, Spectabiles, Magnifici, Egregii, Nobiles, Fideles Nobis dilecti. Inter alia, quae de modernis Turcarum et Tartarorum hostilitatibus sparguntur nova, inexpectatus sane ad aures nostras pervenit rumor, potiores videlicet nonnullos Regni Nostri Hungariae Magnates et Consiliarios nostros praedictis Christiani nominis hostibus non solum ultro manus dedisse, verum cum iisdem in attacto nostro Regno Hungariae et vicinis partibus et provinciis nostris infessa simul ac inimica arma circumferri et Vos etiam in parem foedae defectionis complicitatem sollicitare. Quae res tanto acerbior nobis accidit, quod etiam ab illis promanare intelligamus, quos summis honoribus et dignitatibus condecoratos pro sinceris fidelibus semper habuimus. Leniit tamen et sublevavit conceptum ex his maiorem numerum innata vobis heroica et nunquam satis lau-